

nihil novi in hisce terris. Accepi Herbarium Eustatii insulae. Intra 14 dies abibit D. Forskåhl Professor designatus Haffniensis, petiturus Arabiam.

Dab. Upsaliae 1760, d. 2. Septembr.

Quis vestrum sit Author istius pulchri tractatus de morbis castrensibus.

Quaenam est Cicuta vestra, adeo a vobis experta, nequit esse acquatica? nequit esse Conium? dicas itaque quaenam?

12.

Illustri Botanico DD. Nic. Jacquin s. pl. d. Car.

Linnaeus Equ.

Ambas Tuas epistolas rite accepi, quae me mirifice afficiunt, quoties Tua accedunt, cum semper madent pulcherrima eruditione.

*Aloëm guineensem* esse Hyacinthi speciem credere debco, cum pori 3 nectariferi germini insideant.

*Aloë africana arborescens* (sed quaenam species cum multae africanae sint arborescentes) dubitas esse *Alethris* species. Certe *Aloë perfoliata* non est, cujus flores quavis aestate video.

*Juncus trifolius et inflexus*. de hoc non est quod dubites.

*Juncus biglumis*, apud te multiflorus est certissime eadem species.

*Sagina* habet petala 4 minuta; ego etiam diu eam non vidi.

*Rhamnus domingensis* nequit esse *Rhamnus*; aliquis qui in America eum vidit crediderat esse *Banisteriae* speciem, quod vix inducor ut credam, cum totus habitus repugnet.